

D.
HIERONYMI

OSORII LUSITANI

Episcopi Syluensis, de Regis institu-
tione & disciplina, lib. VIII.

AD
SERENISSIMUM ET INVICTISSI-
MUM PORTUGALIE REGEM SEBASTIANUM,
E. N. I.

*Quibus accessit eiusdem Authoris episto-
la ad Elisabetham Angliæ Reginam.*



*este libro esta conforme al
expurgatorio publicado este año
de 1613. en fe de lo qual yo
Alonso del Cano de la com-
de Jesus por comission del
Santo Oficio lo firme en Sala-*

Cum gratia & priuilegio

Regum

SEBAST. R. PORT. ET PHIL. R. CATHO.

OLYSIPPONÆ,
Ex officina Ioannis Hispani.

1572.

Tassado

em papel.

Coll. Soc. Hist. Salm. ex dono Regis.



Ego F. Bartholomeus Ferreira: Clarissimi Principis Hen-
rici, Cardinalis, Lusitaniz supremi Inquisitoris iussu, & consi-
lij generalis Sancte Inquisitionis, summa animaduersione ac
studio: recognoui opus, R. D. Hieronymi Osorij Episcopi Syl-
uensis, & nihil in eo offendi, quod fidei catholicæ & pijs mori-
bus aduersetur: in quo quidem opere diligēs lector, pectus ve-
re Christianum: singularemq; eruditionem, admirabili oratio-
nis facultate exornatam, facile deprehendet. Cæterum cum
hæc omnis tam longa de Regis institutione disputatio, inter
quatuor personas dialogorum more versetur: studiosum le-
ctorem admonendum duxi, ne quibusuis sententijs eorum qui
loquuntur fidem prorsus adhibeat: donec autor operis quid in
ijs, vel probandum, vel improbandum, sit, deffinierit. Quæ dif-
finitio nonnunquam paulo longius dilata, consequentibus li-
bris referuatur. Hoc enim argumentum octo libris qui hoc vo-
lumine continentur absoluitur. Quocirca, dignissimum cæseo:
vt hoc tam præclarum opus typis committatur. In cuius rei fi-
dem, iuxta X. reg. indicis sacri Concilij Tridentini, in fronte
libri subscripsi, 29. Augusti, 1571.

F. Bartholomeus Ferreira.

AD SERENISSIMVM

ET INVICTISSIMVM PORTV-

GALIAE REGEM SEBASTIANVM

B. N. I.

De Regis institutione & disciplina,

Hieronimi Oforij Episcop.

Syluensis.

Liber primus.



VAM MVLTAM A-
la, in res humanas inuexe-
rit, regnandi libido, Prin-
ceps inuictissime, Rerūp.
cōuersiones, Imperiorūq;
maximorū ruinae, & sum-
morum Regum clades fu-

nestissimae declarant. quae enim gens rerum gesta-
rum gloria praestās, non hoc morbo cōcidit? quod
Regnum tantis opibus floruit: vt non hac tandē cu-
piditate funditus euersum, & extinctum sit? Plenae
historiae sunt, ne scenae quidem de hoc tanto malo
filēt: vita etiam cōmunis, huius tam dirae pestis exē-
pla propē quotidiana suppeditat: & quod est magis

cùm verò singularis ingenij magnitudo, & animi excellētis altitudo, & regiæ virtutis indoles, & reliqua munera tibi diuinitus attributa, te de officio tuo commoneant: tùm maiorum tuorum exempla, eiusmodi sunt, quæ te facilè possint studio immortalitatis inflàmare. Accedit vt magis id liceat nobis de tua præstanti natura, & bonitate polliceri, quòd omnes vno ore còsentiunt, ortú tuum, ad præcipuum atque singulare Dei beneficium referendum esse. eò namq; tempore natus es, in quò propter Regis Aui tui sanctissimi Principis orbitatem timebatur, ne Regni patrimonium, ad externum aliquem principem, cum totius Lusitaniæ quærimonia perueniret. Tu igitur ortu tuo patriæ, propter obitum patris tui (Principis omnibus carissimi) mœrore perditæ & afflictæ, magnum solatium præbuiisti. tu tenebras quibus omnes erant oppleti, dièi tui natalis splendore dispulisti; tu spem salutis, libertatis, & dignitatis omnibus tuis attulisti. cùm verò matris tuæ Principis clarissimæ partus appropinquaret, nescio quò diuinæ mentis appulsu commoti sunt homines, vt ante ad omnes ædes excurrerent, vt Deo de te in lucem edito gratias agerent, quàm tu natus esses. cùm autem hominibus adhuc in rebus diuinis ritè peragendis intentis, repentè verus nuncius allatus esset, matrem

tuam

DE
REGIS INSTITVTIONE

ET DISCIPLINA,

LIBER


QVINTVS.



HÆC autem quæ de musica disputauimus, eò pertinent vt dictũ est, vt Regis animus possit honesta voluptate perfundi; & ad humanitatẽ paulatim institui, & quanta sit vis in legibus & moderatione auribus iudicare. Sed illud est intelligendum, cum musica illa, quæ animorum symphonia continetur, sit multo iucundior ea, quæ in vocum & sonorũ modulatione consistit; & ex ea quæ modulatis vocibus constat, tam multæ utilitates oriuntur: illam certè quæ animorum concinnitate perficitur, multo plures utilitates allaturam. Omnis igitur opera & studium, omnis cura & industria eò conferenda est, vt Rex moderationis atque temperantiæ laudibus excellat. ad hanc autem modestiæ laudem facilius comparandam, vix quidquam vtilius esse potest, bonarum artium disciplinis; acuunt enim ingenium, mentemq; ad veritatis notitiam instruunt, & ad honestatis considerationem egregiè

dunt, torrente sempiternæ lætitiæ compleri, & gaudijs sempiternis inebriari. Et ne pluribus verbis in-
 explicatione rei illius vtamur quæ nullis verbis ex-
 plicari potest: hoc sane constat nihil esse quod purâ,
 & liquidam, & constantem, atque summam volu-
 ptatem efficiat, præter sapientiam & verissimam
 dignitatem; quæ cùm tanto clarius elucere debeat
 in Regibus quàm in cæteris hominibus, quâto am-
 plior & magnificentior est gradus in quo locati sunt:
 consequens est, vt illorum voluptas sit plenior, &
 constantior, & spe etiâ illius summi & altissimi loci
 qui designatus est omnibus Regibus qui pietatem
 coluerint, & plurimum operæ & studij in publi-
 cam salutem contulerint augeatur, mirisq; in dies
 accessionibus amplificetur. Sed de Regno illo cœ-
 lesti nihil dicere possumus, cùm nemo illius opes
 ingenio & cogitatione complecti valeat, ad quas
 æuo sempiterno perfruendas aliquando tandem
 CHRISTI gratia & beneficio peruehamur.

LAVS DEO.



OLYSIPPONÆ, æ

EXCVDEBAT FRANCISCVS

CORREA AMPLISS. ET SERENISS.

Cardi. Infan. Typogra.

A. 1572. M. Janu. D. 22.



EPISTOLA

REVERENDISSIMI D.

Hieronimi Osorij Episcopi
Syluensis, ad Serenissimam
Elisabetam Angliæ
Reginam.




Cum facultate & approbatione Reveren-
dissimorum patrum supremo sanctæ
Inquisitionis consilio Præfectorum.

OLYSIPPONE,

Excudebat Antonius Riberius,
expensis Ioannis Hispani.

Anno Domini,

1575.



Approuação.

NEsta carta não ha cousa contra nosa sancta
fee catholica, nem contra os bõs costumes,
antes desfaz & refuta os erros dos herejes. Em Al
meyrim a vinte de Ianeyro, de 1574.

Dom Afonso de Castelobranco.

*Vista a enformação imprimase. Em Al
meirim o primeiro de Feuereiro, de 1574.*

Martim Gonçalues de Camara.

Manoel de Coadros.

SERENISSIMÆ

ELISABETHÆ, ANGLIÆ,

Franciæ, Hiberniæ Reginae, Hiero-
nymus Osorius

S. P. D.



RAM EQVIDEM CLA-
rissima princeps in studium tuæ
maiestatis & amplitudinis antea
satis incitatus, cum accepissem
quantum valeres ingenio, & quā-
tos progressus in literis græcis &
latinis haberes, & quomodo Re-
giam dignitatem cum eruditione
liberali coniungeres. Postea vero
quā ad me homines quidam de-
tulerunt, à te scripta mea libenter
legi, tanta facta est ad hoc meum erga te studium accessio, quā-
tam verbis explicare non possum. Vtrum id vere mihi dixerint,
an à me falsam gratiam inire voluerint, incertus sum: hoc vnum
scio, me ex eorum sermone magnam voluptatem percepisse, &
consilium iniuisse, quomodo tibi per literas animum in te meū
plenissimum pietatis & obseruantia declararem. Nec enim du-
bito quin eadem humanitate, qua opuscula mea lectitas, si ve-
rum est, te eorum lectione non mediocriter oblecta-
ris, sis has li-
teras meas acceptura, maximè cum illa ad communem utilita-
tem conferantur, hæ vero literæ præcipuum status tui præsidium,
& amplissimæ dignitatis ornamentum respiciant. Quauis au-
tem id præstare nequeam, hæc tamen voluntas mea non ingra-
ta tibi debet esse. Solent enim magni principes, non tam mune-
ris oblatis dignitatem expendere, quā offerentis animum atq;
fidem ponderare. Cum enim maximum Regiæ dignitatis præsi-
dium & ornamentum sit in hominum beneuolentia atque fide-
litate constitutum, quomodo potest id illis inuicundum & in-
gratum accidere, quod intelligunt esse ex egregia voluntate atq;
singulari fide profectum? Ut autem hinc initium scribendi fa-
ciam,

summo conitendi, & spiritu illius eruditi, tenuerunt: non illam
 quam homines sui amore obcecati, ingenio suo nixi, confidentia
 precipites, flagitijs cooperti, & ab Ecclesie coniunctione diuisi,
 sequendam esse prædicant. Quod si feceris, Regni tui opes tue-
 bere, & amplificabis, & quod est multo maius, summa cum
 gloria in cœlestes illas sedes ascendes. Christus opti-
 mus maximus te cum summa dignitatis am-
 plicatione, incolumem diuissime
 conferuet.

FINIS.

